

DOMINICA TERTIA ADVENTUS

EVANGELIUM JOAN., CAP. I, 19-28

19. Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es ?

20. Et confessus est, et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogaverunt eum. Quid ergo ? Elias es tu ? Et dixit : Non sum. Propheta es tu ? Et respondit : Non.

22. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos ? quid dicis de teipso ?

23. Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ?

26. Respondit eis Joannes, dicens : Ego baptizo in aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

28. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

VERSUS 19.

Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu qui es ?

1. — Non deficit, qui in dubium revocari, an hæc ad S. Joannem expedita legatio recto fine instituta fuerit. Chrysostomus super Matthæum, *Hom. xi*, hæc de re ita scribit : « Joannes Evangelista « malignitatem eorum evidenter ostendit, occasio- « nem, qua aliquid reprehenderent, querebant. » Ratio autem, quæ ad id credendum illum movit, est, quia Messiam de tribu Juda nasciturum esse sciebant, cum tamen Baptista de tribu Levi fuerit. Unde concludit : « Insidias ei interrogatione posue- « runt, ut si hic aliquid loqueretur, illi ad accusan- « dum repente consurgerent. » Insuper ad hanc opinionem firmis probandum considerat, quod iidem Sacerdotes, videntes se desideratum inten- tum obtinere non potuisse, ut nimirum se Messiam profiteretur, acriter ei exprobrarint, et veluti de peccato eum arguerint, quod hactenus absque ulla sibi data auctoritate et jurisdictione baptismum administrasset. Toletus super illa verba : *Interrogaverunt eum, et dixerunt ei, etc.*, dicit id illos fecisse « per modum cujusdam accusationis, et reprehensionis, » Euthymius ait : « Præ malitia ignoran- « tiam simulant, » satis enim perspicue, quis esset, noverant, verumtamen ipsum per hanc oblationem

se subversuros esse sperabant : « Putabant insi- « pienter, quod licet in cæteris vigilantius exubare « videretur, attamen humanum quiddam tanquam « homo sentiret, ac gloriæ amore illectus Christum « se esse responderet, et deinceps ipsius Jesu fama « extingueretur, ob quam omnes oriebantur anxie- « tates, » atque hæc unica causa fuit (subjungit idem) ob quam ad illum non gentem popularem seu plebeios, sed Sacerdotes et Levitas Jerosolymitanos, tanquam viros majori rerum usu et experientia præditos atque sagaces ad eum miserint. « Non vulgares quosvis miserunt, sed Sacerdotes et « Levitas, idque ex Jerosolymis, utpote præstan- « tiores atque astutiores cunctis. » Bonaventuram quoque super hoc Evangelium ejusdem opinionis esse invenio. Dicit enim : « In hoc patet malignitas « Judeorum, qui miserunt Sacerdotes ad ipsum « tentandum. »

2. — Porro in Judaismo venenum invidiæ adversus Christum quotidie majora sumpsisse incrementa, adeo est clarum, ut probatione nequaquam indigeat, unde valde est verisimile, illos ad in conatos fuisse, ut duos simul icetus inflingerent, nimirum Salvatorem, a sublimi illa Messias dignitate et ministerio penes populum excluderent, ac demum conando ut Joannes illum acceptaret, eundem postea, quasi arrogantem Messiasius usurpatorem, manifestæ ambitionis convincerent. Toletus Chrysostomum, *Hom. xv*, in Joannem citans, scribit :

« Judæos non esse motos opinione, aut suspicione « ulla, qua Joannem Christum esse suspicarentur ; « sciebant enim non esse Christum, sed odio potius, « quo Christum persequebantur, et inde erat ut « agre ferrent, quod Joannes sibi Christum præ- « poneret. Veniunt ergo, et adulatione quadam eum « inducere tentant, ut se Christum esse fateatur, ut « hæc ratione opinio Christi obscuraretur. » Porro Christus juxta vulgi opinionem, humiliter natus fuerat, siquidem ipsum fabri ejusdam lignarii, et mulieris cujusdam pauperule filium esse arbitrabantur, vitamque agebat communem et vulgarem : cum tamen e contra S. Joannes magnis esset natalibus oriundus, utpote summi Sacerdotis filius magnam quoque sibi, per tot annorum austeritatem, innocentiam et eximiam sanctitatem, comparasset opinionem, verumtamen quia per quotidiana miracula, quæ Christus patrabat, conspicuus apud omnes fieri, magnamque discipulorum turbam post se trahere incipiebat, hanc ejus apud populum magnam existimationem et auctoritatem sustinere diutius non poterant, ideoque ipsum per S. Joannem exaltationem deprimere, et contemptibilem reddere tentarunt : at veritatem de illis fuit dictum illud Psalmi ix, 2 : *Comprehendantur in consiliis, quibus cogitant* ; siquidem effectum fini suo totaliter contrarium, licet inviti, operati fuere, quando Sanctus Joannes manifestissimum non solum loti Hebraismo, sed et universo mundo divinitatis Christi edidit testimonium, ipsum contestando promissum, diuque desideratum esse Messiam, deque ejus æterna generatione, donorumque et gratiarum celestium, quas super universum genus humanum diffusurus erat, prolixè tractando, ac tandem die sequenti ipsum in conspectu omnium digito monstravit dicens : *Eccæ Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* ; imo se ipsum ejus præcursorem, licet ad solvendam calceamentorum ejus corrigiam indignissimum declaravit ; adeo ut omnibus manifeste pateret, verissimum esse illud Sapientis, ii, 17, axioma famosum : *Per quæ quis peccat, per hæc et punietur* ; quia testimonium, quod S. Joannes de Christo ediderat (quod ipsi absconditum, nullique hominum cognitum esse cupiebant) clarius et certius esse non poterat, maxime illis, qui de tribu Juda (ex qua secundum prædictiones Propheticas Filius Dei carnem sibi assumpturus erat) imo ex jussu Concilii Synedrini, per adeo solemnem legationem et auctoritatem publicam ad eum missi fuerant.

3. — Hugo Cardinalis notat, quod Joanne prædicante, omnes circumvicinæ civitates quasi evacuate et exinanite ab hominibus fuerint, nimirum omnibus earum incolis ad eremum Joannis accurrentibus, eo quod hanc tribum cum tribu Juda baptizarentur, inter quos ipsimet quoque Scribæ et Pharisæi erant : cum igitur die quadam, Christo similiter ibidem presente, Joannes in conspectu

tantæ multitudinis hominum Christum verum, diuque desideratum Messiam esse protestatus fuisset, « audientes Scribæ et Pharisæi scientes, quod de « paupere parentela erat et de vili regione, id est, « Galilæa, et de vilissimo castello, id est, Nazareth ; « scientes etiam Joannem esse de magno genere, « utpote filium Pontificis, et maxime vitæ ; in- « dignati sunt, quod tam vilis deberet ei præponi, « et ideo ut defloerent eum de testimonio Christi, « miserunt Sacerdotes et Levitas, qui blanditiis « abstraherent eum a testimonio Christi. » Cui opinioni consonat id, quod Chrysostomus quoque a S. Thoma in *Catena* citatus scribit, nimirum : « Passi erant Judæi quendam humanam passio- « nem, ab Joanne indignum enim æstimabant « subijci eum Christo propter multa, quæ Joannis « claritatem ostendebant. » Ecce quoniam illos fastus et superbia perduxerunt, hæc enim sola obstante, humilitatem Salvatoris ferre non poterant, neque pati, ut ei subijcerentur ; e contra vero vide, quoniam se inclinet adlatio, nimirum in summi cujusdam Sacerdotis filium, non vero Christum, utpote quem pauperis cujusdam fabri lignarii arbitrabantur esse filium.

4. — Salmeron vero existimat concilii intentionem eo præcipue spectasse, ut sincere investigaretur, an Baptista verus esset Messias, necne : « Vi- « detur hæc missio, quod ad milentes attinet, « bono animo facta. » Cum enim sceptrum Juda, ad extraneum quendam Principem plane alienigenam, viderent esse translatum, satis agnoscebant juxta oraculum propheticum Redemptorem procul abesse non posse, sed proxime esse vicinum ; septem quoque septimanas a Daniele prædictas, terminatas esse evidenter sciebant ; recens item erat signorum admirabilium memoria, quæ circa nativitatem Filii Dei contigerant ; testimonia denique pastorum, Annæ Prophetissæ et Simeonis, nondum a mente ipsorum evanuerant ; nihil quoque notius erat omnibus, quam inopinatus trium Orientalium Regum Christi incunabula regis oblati muneribus adorantium, in urbem Hierosolymitanam solemnibus ingressus, nec non strages illa crudelissima, qua in innocentes ab Herode sævitum fuerat : ex altera vero parte Christus nulla etiamum patrasset miracula, nec Evangelium suum divulgasset, neque particulares aliquas, seu multum notabiles fecisset divinitatis suæ demonstrationes, magis in id propendebant, ut Sanctum Joannem filium Dei esse crederent, ob vitam immaculatam, planeque miraculosam, quam in summis rigoribus agebat. Neque illos ab hac animi propensione divertere potuit notitia, qua illum ex tribu Levi ortum suum docere sciebant, eo quod hanc tribum cum tribu Juda stricta parentela in parentibus Joannis conjunctam esse noverant ; siquidem Maria Mater Christi, Elisabethæ Præcursoris genitricis proxima cognata

erat : « Opinati sunt Joannem esse Christum » inquit Dionysius Carthusianus, « propter miracula Iosam ejus nativalem; item propter vitam abstinentiam, rigorem, ac sanctitatem, et genealogiam nobilitatem. » S. Lucas quoque aperte hanc conceptam de Joanne penes populum, constanter viguisse scribit : *Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus.* Luc., III, 15.

Judæi.

5. — S. Thomas, in Joan., legationis istius dignitatem ex insignibus eorum, qui missi fuerunt, qualitatis censet, dicit enim : « Non enim Galilæi miserunt, sed illi qui præcipui erant in populo Israel, scilicet Judæi, qui sunt de tribu Juda in Jerusalem. » Idem quoque advertit Salmeron, Tract. 15, dum ait : « Hæc legatio tam honorifica continet mittentes Judæos, » redditurque rationem, cur hi magis anxii atque solliciti fuerint, ut Messie scirent atque explorarent adventum : « Tribus Juda prima erat in bello et in acie, atque ex ea sceptum non erat auferendum, donec Messias veniret; » hoc autem jam de facto in Herodem, principem alienigenam translatum erat, ac proinde tempus adesse arbitrabantur, quo adimplendum erat, hæc de re editum vaticinium, præterquam quod Messiam de ipsorum tribu carnem assumpturum esse aperte ex Scripturis constabat. « Hi erant primi Judæorum, » inquit Toletus, « et quibus hoc negotium maxime incumberebat, cum de eorum tribu futurus esset secundum carnem Christus. »

6. — Lucas Brugensis hanc resolutionem a Concilio quod Synedrini dicebatur, conceptam fuisse existimat : « Summus Senatus constans primariis viris. Non videtur, » inquit Salmeron, « hæc missio facta nomine Herodis Regis, vel Pilati Romanorum Præsidis, sed Senatus, qui dicitur Synedrini, seu domus Concilii curantis, quæ religio sunt. » Herodes enim, et Pilatus, utpote Principes sæculares, nullam habebant se in materiam religionis ingerendi auctoritatem; imo tamen etiam hæc se ingerendi potestatem aliquam habuissent, ex quo tamen constans in Judaismo opinio erat Messiam corporaliter regnaturum esse, ideo, tantum abest, quod hi Christum quærere, mundoque manifestare studuissent, ut potius eum, ubi manifestatus esset, prosequi et interficere conaturi fuissent : *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Magnatum magis proprium est, quod, quia in deliciis et voluptatibus suis continuo vivunt, Salvatore minime querant, *incressatus, impinguitus dereliquit Deum,* præterquam quod a Spiritu Sancto dicta veritas sit : *Nec invenitur in terra suavitè viventium.*

Ab Jerosolymis.

7. — S. Thomas, in Joan., existimationem et reverentiam, qua Judæi S. Joannem prosequantur, ex dignitate loci producit, unde hæc legatio processit : « Ex loci præeminentia, quia ab Jerusalem, quæ est civitas sacerdotalis, et divino cultui mancipata. » Lucas Brugensis de hac civitate pariter scribit, « tanquam de primaria et regia civitate. » Salmeron ait : « Ab Jerosolymis civitate regia atque sacerdotali, ubi sapientiores, nobiliores, poltiores, religiosioresque erant professione. » Toletus insuper addit : « Metropolis terræ Judæorum, ubi residebant Sacerdotes maximi, et Reges Juda, ubi erat templum et sacrificium, et Judices septuaginta dicti Synedrini. »

8. — Considerandum hoc loco est, quod S. Joannes, dum adhuc puer esset, sese in speluncis deserti abdidit, nec unquam urbi Jerosolymitanæ pedem suum intulerit, et tamen quanto sanctitatem a mundi oculis magis occultare nitetur, tanto eandem magis manifestavit; siquidem, ut dicitur, *Matth., v. 14 : non potest civitas abscondi supra montem posita : unde in ipso verissimum esse cernitur, quod honor semper sequatur fugientem, cum enim ipse Jerosolymam gloriam fugiens, procul ab ea recessisset : Exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem,* *Matth., III, 5.* Quanto se Antonius in variis speluncis magis magisque, ne inveniretur, aut in veneratione esset, recondebat, tanto frequentior ex omni regione terræ hominum turba ad eum se recipiebat, ut sua ei obsequia exhiberent, quod idem quoque de S. Hilariō legitur. S. Athanasius in vita S. Antonii, cap. LXI, dicit : « Hominem pene alio orbe celatum, » et inter tantas positum solitudines Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyricæ, ipsi etiam, quæ urbium caput est, Roma demonstravit. » Ceterum, et terra certatim se S. Joannem honorare et glorificare satagerunt; siquidem dum Filium Dei baptizavit, cœli aperti sunt super eum, terra autem, et civitate Deo magis dilecta, majoribusque beneficiis aucta, legationem ad eum misit, quæ nunquam gloriosior visa unquam aut audita fuit.

Sacerdotes et Levitas ad Joannem.

9. — S. Thomas, in Joan., hæc legationem qualificat : « Ex nuntiorum auctoritate, qui solemniter erant et sanctiores in populo, quia Sacerdotes et Levitæ. » Toletus rationem reddit, cur similis conditionis homines in hac legationem expedierint. « Personæ, » inquit, « ecclesiasticæ et religiose in pretio habitæ apud populum, hæc enim legatio ad religionem spectabat. » In eo namque de prophetiarum oraculorum adimplentione, de ad-

ventu Messie, et consequenter de adventu summi Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech agebatur, atque ideo indecens omnino erat, ut in hoc se negotium sæculares ingererent, unde neque Herodem, neque Pilatum ad quidquam horum se movisse legitur. Ozias reprehensus fuit, quod se in ministerium sacrum, pro quo minime deputatus fuerat, temere ingessisset : *Non est tui officii, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, etc. II Paral., XXI, 18.* Ubi Theodoretus ait : « Definita sunt a Deo, quæ Regibus conveniunt, quæ Sacerdotibus congruunt. »

10. — In S. Mattheo, XXI, 16, quidem legitur, quod Pharisei ex præhabita deliberatione et resolutione concilii, quosdam e discipulis suis, simul cum ministris quibusdam Herodianis ad Christum miserint : *Mittant et discipulos suos cum Herodianis;* unde merito quaeritur, cur tunc sæculares cum Ecclesiasticis in unam legationem conjunxerint? In promptu autem est responsio, nimirum, quia id fecerunt, ut caperent eum in sermone, et in majus ejus vilipendium, quia ipsum occasione responsi, quod daturus erat, delicti lesse majestatis apud Herodem, rem facere sperabant : in hac autem legatione de nulla re alia cogitant, quam de honoribus S. Joanni Baptiste deferendis, et ideo personas spectabiles, Sacerdotes nimirum ad eum mittunt.

11. — Considerandum quoque est, quod Pharisei, Sacerdotes, Pontifices, omnesque alii, qui aliorum regimini præerant, prout ex pluribus Evangelii locis deducitur, vitiosi, hypocritæ, cunctisque sceleribus ad fauces usque immersi fuerint; et proinde merito dubitatur, quomodo se resolvere poterint, ut Messiarum Joanni offerendo, eidem se subjicere vellent, qui adeo innocens, irreprensibilis, vitæ divini honoris zelantissimus, veritatis amicus, atque in victu et vestitu adeo rigidus erat? numquid vereri poterant, ne eximia ejus sanctitas, dolentissima in eorum oculis spina futura esset : *Opprimamus virum justum,* dicebant impii illi apud Sapientem, *Sap., II, 10, 12; circumveniamus eum, quoniam contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis.* Responditur igitur, dignitatem illam Messiatum, quam illi offerebant, sublimissimam esse omnium, quæ sive in cœlo, sive in terra dari potest, nimirum dignitatem ipsiusmet Filii Dei, ac proinde omnino sibi persuasum habebant, se per illius oblationem adeo magnopere illum sibi devinxisse, ut, tamen vitii alicujusque in illis videret, illum clausis oculis dissimulaturus esset, præterquam quod non minus sit verisimile, ipsos ea spe fretos fuisse, quod Baptista supremum hunc honoris apicem assecutus, de hac sua austeritate multum remisurus esset, victurisque sicut alii; siquidem honores mutant mores. Credibile insuper est, hanc fuisse quandam ab infernali serpente motam machinam,

qua nimirum legationem hanc Phariseorum et Sacerdotum mentibus suggererat, ut Joannem ad supremam hæc dignitatem acceptandam inducerent; sciebat enim, quam sit difficile, ut quis in supremis honoribus humilitatem, innocentiam, rigores vitæ, cunctasque alias virtutes christianas conservet; per propriam quippe experientiam sciebat, non noverat, hunc fuisse scopulum, ad quem ipse, qui speciosissimus cœli empyrei Angelus fuerat, tam turpiter cespitans, lapsus fuit; eodemque irrisu protoparentes nostros in innocentie statu ad prævaricationem dolose induxerat : imo ad idem offendiculum ipsummet Dei Filium in monte allidere tentavit, dum hisce eum verbis aggressus fuit : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoreris me.*

Et interrogaverunt eum : Tu quis es?

12. — Hi legati non ad Baptiste nativitatem explorandam missi fuerant, quia ipsum Zachariam filium esse manifeste sciebat, ut ad ministerium ejus experirentur, in quod se ingesserat; unde quaerebat, qua auctoritate baptismum prædicaret, cœlorum regnum proximum esse publice omnibus annuntiaret : « Quasi dicant, » inquit Cornelius a Lapide, « quod munus geris? quod officium a Deo acceptisti? ad quid te misit Deus predicare et baptizare? »

13. — Observat hoc loco Salmeron, quod interrogacionem conceptam in nativitate Baptiste, quando universa Judæa in ejus natalibus attonita, dicebat : *Quis putas puer iste erit?* nunc pariunt, atque deponunt. S. Prosper dicit : « Ad eum miserunt Principes Sacerdotum interrogantes, » utrum ipse esset Christus. » Lucas Brugensis observat, multos supremi illius concilii persuasum sibi habuisse ipsum vere Messiam esse, vel saltem talem, qui a Deo ad aliquod, adventum Messie respiciens munus, electus esset : « Ant si non Christus, » certe præcursor, aut comes Christi, eo quod « multis argumentis cognoscere promissum adventus Christi tempus aut adesse, aut imminere. » At vero cur non directe ipsum, an Christus esset, interrogarent, sed tantum in genere quaesierunt : *Tu quis es?* Salmeron ait : « Ne temerari viderentur, non asserunt eum Christum, nec aperte eum hoc interrogant, licet cum formidine id suspicarentur. »

14. — Observari quoque potest, quod, cum Joannes a primis anni coelestem potius quam humanam vitam in deserto egerit, ideo non amplius idem esse, qui ingressus fuerat, agnoscebatur, adeoque extraneus factus est fratribus suis, et peregrinus filius matris suæ. Ps. LVIII, 9. Unde Deus per Psalmistam, Ps. XLV, 11, de sancta quodam anima dicit : *Audi filia, obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concipies Rex decorem tuum.*

15. — Salmeron pro illis, qui, ut christiano gregi invigilent, sum deputati, egregium quoddam documentum in medium hisce verbis adducit: « De- centur Pontifices et Episcopi, quibus religionis cura atque custodia demandata est, ut ad novos « predicatorum, qui exurgunt, diligenter inspiciant, « attendantque, ne ipsorum incuria et negligentia « doctrina pestifera in Christi fideles vel spargatur, « vel amplius serpat. »

16. — Optimum quoque perfectionis acquirendae medium est, si quis semetipsum in notitia sui ipsius exerceat, animam suam frequenter interrogando: *Tu quis es?* nimirum ad imaginem et similitudinem Dei creata, redempta ejus sanguine et meritorum illius prelio sanctificata, ac demum ad celestis gloria fruitionem ab eo vocata. Deinde ad corpus conversus, idipsum quoque interroget: *Tu quis es?* Nimirum massa quaedam lutii, vas vermium, et sentina vitiorum, et tamen corpus quod corrumpitur, et aggravat hominem. Dicebat David: *Ego sum vermis, et non homo.*

Additiones.

a. — *Miserunt Judaei ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, etc.* Naturalem plantavit Deus in homine appetitum cognoscendi Deum, ita quod quamvis gravissimis aliquis immersus sit peccatis, appetit tamen cognoscere quis sit Deus. Sic quoque hi Judaei, quamvis essent involuti in multis peccatis, desiderabant tamen scire quisnam esset eorum Deus et Messias Joannes an Christus. Et ideo miserunt ab Hierosolymis sacerdotes, ut interrogarent: *Tu quis es?* Nec mirum, quia mundus, et omnia bona non satiant hominis appetitum, nisi Deus et bona caelestia. Quo enim modo mundus et omnia alia bona creata satiantur quae in comparatione ad illam nihil valent? Anima autem si perditam fuerit nullum est pretium in creatis quo redimi possit; et ideo salus illius dubio eventui committi nullatenus debet. Sed qua ratione idipsum nobis credibile fieri poterit, cum quotidiana experientia demonstret, quod unusquisque nostrum, thesauros, gemmas et monilia, et quidquid pulchri aut boni universus mundus habet, longe pluris faciat, quam animam suam? Respondet S. Laurentius Justinianus: « Si « id ex te nequis addiscere, discere ab eo qui creavit « coelum, terram, maria, et cuncta quae in eis sunt; « qui noscit singula quanti sint, quoniam singulis « impertitus est quidquid habent decoris, quidquid « virtutis, quidquid estimationis et prelii; iste « docebit quanti sit anima hominis. Illum ipse « magni pendit qui opus suum agnoscit: pro « eruditione ejus universi fecit hanc machinam, « ipsiusque eam subiecto imperio, non ut inhareat « illi, fruitionemque captaet ex illa, sed eruditus « per illam, ascenderet ad notitiam ejus qui fecit « omnia. »

b. — Multa erant indicia in Scripturis sufficienter expressa, per quae Judaei poterant cognoscere Christum esse verum Deum; tamen leviter Christo, voluerunt Joannem facere Deum ipsorum. Ad eum demum prorsus modum faciunt peccatores qui cum per creaturam deberent et possent venire in majorem Dei cognitionem, sistant tamen, et delectantur in ea, sicut qui videntes imaginem pulchram, non laudant pictorem. Per creaturas enim et bona terrena in Dei, et celestium notitiam, devenitur.

c. — Mittitur haec legatio, ut Pontifices cognoscant, an Joannes sit Christus. Nam ut clare patet ex textu, *Luc.*, iii, 15, haec opinio maxime versabatur in omnium ore: *Existimante populo, et cogitantibus omnibus in corde suo de Joanne, ne forte ipse esset Christus.* Sed volebant hi Christum lancea occidere, capientes S. Joannem pro lancea, qui si acceptaret Messiatum quem illi offerebant, videbatur eis quod Christus lancea confoderetur; sed hac eadem lancea Judaei seipsos confoderunt. Hoc enim habet malitia invidi quod ex alienis bonis contristatus, malum sibi inde accersit. S. Bonaventura ponderationem quandam habet, ex qua clare deducitur, quod demon ob proprium interesse, invidia odioque inflammari coperit contra Christum: homo autem in passione adeo caesus est ut seipsum conficiat cum damno proprio: « Zelum passus est Salanas, » inquit S. Doctor, « adversus Salvatorem, videns « eum docere homines, quomodo sibi propitium « facerent Deum, renunciantes diabolo; et propter « hoc, occidit eum, nesciens futurum adversum « se. » Homo autem invidus probe novit, quod alienae felicitatis invidia, tristitia, tormentumque, et animae propriae conciliet damnationem, et tamen ab ea non desistit, ideoque demone peior est. *Stultus complicat manus suas, inquit Ecclesiasticus, iv, 5, et comedit carnes suas.* Quem textum S. Hieronymus praesenti nostro applicat propositum, dicens: « Qui alienae felicitati invidet et quasi spiritu furoris « raptatur, et invidiam in sinu suo receperit, nutrie- « ritque eam in pectore suo, ille comedit animam « suam et carnes suas. Quanto enim eum cui in- « videt, felicioris videt, tanto ipse amplius conta- « bescit, et deperit, et paulatim merito et livore « distillat. » Ideoque invidus zavilo ad illud S. Augustini se reflectat, dicens: « Seipsum primo « infestans, primo seipsum vulnerans et vexans. O « invidi! quam paucos habes amicos, et forte « neminem habes de cujus bono non deales et de « cujus malo non gaudes: merito omni amico « privari debes, eo quod de nullo amicorum bono « gaudere probaris. O invidi, omni vitio peior et « omni peste deterior! » Tempore contagionis, ut experientia docet, vestes pretiosiores, granum electum, linum deliciaus, pannos rariores inficit venenum: ita quoque invidus, malitiae suae conta- gio, bona et felicitates inficit alienas, ideoque

dicitur: « omni peste deterior, » siquidem illa non mentem, animam, aut bona offendit spiritualia, invidus autem bona gratia, donorum et virtutum laedit. Invidi stultitiam S. Bonaventura considerans, in suo *Compend. Theol.*, ait: « Nimis errat qui « idcirco sibi vult oculum erui ut aliis etiam unus « eruat. Sic facit invidus et diabolus qui, per hoc « quod aliis invidet, sibi magis nocet. » Quod idem punctum his verbis insinuat Bellovacensis: « Invidia « animam cruciat; invidus enim de laetitia tabescit, « de sanitate languescit, de pinguedine marcescit. « O insania, et stultitia, invidia de alieno vulnere « suum vult sanare vulnus, sanitatem quaerit in « aliena infirmitate, bonum in alieno malo, quod « idem est, ac si quaereret ignem in aqua, et aquam « in igne, in spinis uvas, in tribulis ficus. » Quo fine S. Augustini citat auctoritatem, ita de homine invidio loquentis: « De aliena poena quaerit sibi « medicamentum, et de salute requirit tormentum: « invidia enim est aegritudo animi, vel tristitia de « felicitate alterius. »

d. — Hierosolymitani Senatores, dum submissimum Messiae munus Joanni offerunt, illum cognitionis affecta diligunt, non iudicii matritate. Amor enim erga cognatum Joannem, et odium savendi adversus Christum, hujus legationis, aut electionis iudicium extorsit. Sane amoris, vel odii, seu invidiae affectus tanquam non bonus rerum arbiter, in iudicio recusatur, et communiter fallit, uti plane fecerit hos Judaeos, qui illo gladio sese peremerunt, quo Christum verum Messiam perimere cogitabant. Invidia erat: illa autem, ut ait *Idiota de Monte, lib. V*, est gladius Goliae, qui proprium magistrum occidit, quia invidi, antequam alios interficiant, gladio invidiae torquentur ut de eis dicitur: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Scilicet de sacerdotali stirpe prognatum sciebat Joannem; de humili vero Jesum. A cunis, a primis annis secretum Joannem; cum publicanis et peccatoribus conversatum Jesum. Hinc ergo cum innumeram post se trahere turbam vident, quae illum ut verum Messiam venerant; inde commoti, hoc Messiae munus in Joannem transferre satagunt, Joannis vero absit ut pro tali haberi vulerit, quinimo omnibus Judaeis, et universo mundo testatum reliquit, cum maxima eorum confusione, Christum verum esse Messiam; sicque in perversis suis consiliis elusi, malum quod machinati sunt, in ipsos recidit. Et quidem ut hanc illis veritatem tanto firmius imprimeret, continuo fere sermociatus est de aeterna Christi generatione, de donorum et gratiarum caelestium plenitudine, quam super terram diffusurus, in hunc mundum venerat. Die enim sequente, in conspectu omnium, indicavit universis magnum hoc de Christo encomium: *Eccc Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Se autem fassus est ejus esse Praecursorem, singulari Dei dispositione ad hoc natum, ut illum

Judaismo manifestaret: *Ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego.* Verum est enim quod legitur de peccatoribus, *Psal. x, 2. Comprehendantur in consiliis quibus cogitant;* et *Psal. vii, 16. Lacum aperuit, et effudit eum, et incidit in foveam quam fecit.* Sic Satrapae regis Babylonici qui accusaverant Danielelem et induxerant regem ad coniciendum eum innocentem in lacum leonum, postquam propheta hoc evasisset periculum, Deo adjuvante, *in lacum leonum missi sunt, ipsi et filii et uxores eorum; et non pervenerunt ad pavimentum lacu, donec arripere eos leones, et omnia ossa eorum comminarent.*

e. — Valde mirum est quod Pontifices dediti omni vitio et abominationi, optent sibi constituere in Regem, Messiam et caput Joannem, in quo omnis puritas et sanctitas vite, cum maximo rigore eminebant. Sed heu, perversum hominum in dignitate ecclesiastica constitutorum, genium! Deferunt Joanni Messiatum, quo se ostenderent populo religionis zelatores, in adventu Messiae ferventissimi; quibus tamen immoderata passio erat, animum eorum moriens qua Christo Dei Filio, filiationem et Messiae dignitatem invidabant, qui proinde zelus justae Joanne, tali condigno responso confunditur, et castigatur, atque detegitur. Deus enim merito castigat eos, qui pravas passionem suam, quibus momentum, zeli pallio tegunt. Regius Propheta, *Psalmo lxi, 10, optime expresserat malitiam istam, verbis istis: Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant de vanitate in idipsum.* Si existimatis, quod in stateris suis, quando zelo justitiae fervidos se fingunt et gestunt, pondus sanctuarum adhibeant, fallimini. « Passiones moventur; » sub calore et prelo et zelandi justitiam, proprias vindicant passionem: « In eo mendaces ut decipiant in stateris, » ait S. Hilarius, « sub justitiae nomine injusta peragentes. » Inordinatum quorundam zelum, qui non est secundum scientiam, tetigit S. Laurentius Justinianus, quando scribens de detractone ait: « Consequitur hoc vitium, etiam vigere in bonis, « atque sub zeli specie, jugiter captivare impro- « vidos. Innumeri sunt, qui potius in aliis quam in « se zelare divinum honorem videntur. Zelum Dei « habent inhumani, sed non secundum scientiam. « Rectus autem et commendabilis zeli iste ordo, ut « quisque prius se, deinde corripit ceteros. » Adhuc abominabilior zelus eorum est qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: passionem suam sub zelo colorant et palliant. Legimus, *Jona., iv, 1, Prophetam afflictum fuisse afflictione magna et iratum valde, quod Deus Ninive penitentem pepercerit.* Quis non persuasisset sibi Jonam zelo honoris Dei commotum fuisse, necnon desiderasse exterminium urbis, eo dumtaxat fine, ut insolentia istius populi dissolutione debite castigata et punita, Deus deinde tanquam justus glorificatus fuisset? Et tamen Deus scrutans corda et renes; indi-

cavit Prophetam duci ac regi passione : *Et dixit Deus : putasne bene irascaris tu?* Non erat zelus ordinatus ad ea quae juxta verbum Dei significabantur adimplenda : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur;* sed dubitabat amittere fidem suam, timebat ne honore suo periclitaretur, ne ipse tanquam Propheta mendax inveniretur.

Zelus quoque tectus et palliatus fuit qui Filium Dei in monte Calvaria cruci affixit. Etenim, quia Salvator noster Phariseus, Scribas, Sacerdotes et Pontifices Synagoga, aliquot vicibus punxerat, latentes eorum nequitas detegendo, multa et varia, quibus infecti erant, reprehendendo vitia, puta malignitatis, hypocrisis, superbia, avaritiae, ideoque apud populum eorum fides, et auctoritas quodammodo ceciderat; reprehensio haud poterat ulterius tolerare quod populus ei adhereret. Uxor Putipharis adultera pessima, laudem castitatis sibi comparere volebat; ideoque ficto zelo innocentem Josephum accusabat et conviciabatur, quasi hic violentiam sibi inferre attentasset.

Judas proditor cum in effusione pretiosi illius unguenti honori Magdelaene et Christi detraheret, zelum eleemosynae apparenter monstrabat. Carnificia innumerabilium martyrum facta in Ecclesia Dei, a multis saeculis, effectus fuit zeli, non secundum scientiam, sed indiscreti, et rationibus status politici adornati, veluti praedixerat piensissimus Salvator noster : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo; sed haec facient vobis quia non noverunt Patrem neque me.*

f. — *Ut interrogarent eum : Tu quis es?* Videntur Principes Jerusalem velle implere officium suum, quaerendo ex vestigio Messiam, apparenter valde solliciti pro populi salute; et tamen, cum S. Joannes quem adhibant eum ostenderet eis nolebant eum recipere. Et tamen hanc interrogationem tam sollicitam, in sui commendationem cedere optabant. Veri certe hypocritae qui Deum et quidquid ad divinum ejus cultum pertinet, suae gloriae servire faciunt. Propter quod in suis transgressionibus inexcusabiles existentes, severe puniuntur. Deus noster olim per Isaia lamentatus fuisse legitur, quod eum nostris cogereimus serviro peccatis, nostrisque aggravare iniquitatibus : *Servire me fecisti in peccatis tuis; praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Isa., XLII, 24.* Id quod sane ad litteram adimpletur in hypocrita, qui pietate, zelo et religione internam suam cooperit malitiam. Quorsum enim hypocrita spectant, respiciuntque jejunia, communionem, eleemosynae, orationes aliaque tam corporalia quam spiritualia misericordiae opera, nisi ut lupinam rapacitatem sub pella cooperiat ovina? Nullum violentia latet quam Achab intulit Naboth, ut ejus obtineret vineam. Sed modum observetis velim, quem contra Naboth, in vindicta rex impius observavit : *Predicite jejunium, et sedere facite Naboth*

inter primos populi, et submitte duos viros filios Bekai contra eum, ut falsum testimonium deant. Hic litterarum tenor fuit quas ad optimates et magistratus suos ablegavit. Ideo jussit quod prius praedicaretur jejunium, » inquit Abulensis, « ad » significandum quod aliquam rem magnam facere » volebat, et illum non faciebat ex aliqua passione, » sed ex magna maturitate et zelo Dei. » Nimirum sub colore divini honoris, adeo indignam et crudellem passionem occultavit. Idem prorsus est quod ficti Christiani et hypocritae, per totum diem facere meditantur; qui nullis devotionis operibus se dedisse esse ostendunt, non quod vere tales sint, sed ut per ejusmodi simulationem ad hanc vel illam praetaturam, pertingere valeant, habeantque ab aliis in fama et aestimatione bona, et pro magna occasione promoveantur.

S. Thomas illa Christi contra Scribas hypocrisis fulminata verba : *Propter hoc amplius accipietis iudicium, Matth., XXXI, 14,* sequenti ad intentum nostrum illustrat commentario : « Id est, amplius » peccatis. Et quare? quia si aliquis rapit per arma » diaboli, peccat; et si per arma Dei, peccat dupli- » citer, quia peccat contra Deum et contra proxi- » mum. » Hinc Salmeron injuriam considerat quae per hoc vitium Deo inferitur; in cujus praesentia, pietatis et devotionis exercitia, quae ad honorem divinum ordinata sunt, ejus debita, in pessimum dirigimus finem, ut scilicet nostris per ea satisfaciemus inordinatis appetitibus. Monet ille : « Hypo- » crisis vitium, magna ratione a nobis fugiendum » est, et nullum in Evangelio Christus est magis » insectatus, atque hypocrisis crimen, quia menda- » cium est in factis, et pejus est alterare virtutem » quam aurum... Grave est contempto Deo specta- » tore, ignorantibus hominibus velle placere, et » neglecto praemio aeterno, ab hominibus expectare » mercedem quam accipiant. »

Pilatus dum manus abluit, eodem tempore quo sanguine Agni immaculati conspurcavit conscientiam hypocritam designabat qui etiam laudes annuntiat Dei, ad sacramenta accedit, verbum divinum praedicat, animas convertit, gratiam his confert, Dei zelat honorem; sed in eodem pariter tempore Deum mortaliter offendit in oculo, *rursus sibi in seipsum Filium Dei crucifigens.* « Habent » hypocritae specialem damnationem, » dicit Abulensis, « inter caeteros homines, quia alii poterunt » aliquam penarum allevationem sentire, quasi » ignorantes mala egerint; hypocritae autem, cum » bona simulent, quia non faciunt non possunt » bonitatis ignorantiam allegare. »

g. — Congruè ad mores duplex per haec verba, *Tu quis es,* propria nobis innuitur cognitio, scilicet primo, quid simus ex parte Dei; secundo, quid simus ex parte nostra. Quam utramque cognitionem, exemplo suo nos docuit divinus Baptista. Nam

primo, interrogatus quisnam esset? respondit : *Non sum, non sum, non sum,* quia ex parte sua nihil erat, sed secundum corpus vilissima massa, et nihil Corpus enim humanum in substantia nihil est aliud quam quoddam immunditiae et putredinis receptaculum, vas ira, fames concupiscentiae, sentina vitiorum, mortis mancipium, spirans cadaver et massa vermium; et ideo, S. Bernardus ait : « Nihil » aliud est homo, quam sperma foetidum, saccus » stercorum, cibus vermium; post hominem ver- » mis; post vermem foetor et horror. » Et tamen stercus istud hi vermes, animae praefertur quae perpetua quaedam vita est ad imaginem et similitudinem Creatoris creata.

Sed iterum interrogatus Joannes respondit : *Ego vox clauantis in deserto.* Nam sicut vox quidquid habet, recipit a profertente, sic Joannes quidquid boni habebat secundum animam, a Deo accepit.

h. — Si unquam difficilis est huic quaestioni : *Tu quis es?* justa responsio, et sui ipsius vera cognitio, maxime difficilis est in ambrosiosis, qui seipsum dignoscere non possunt, intellectum eorum excaecante ambitione. Regius Propheta David, Ps. XLVIII, 13, hisce verbis : *Homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis, duas veritates, et ambas quidem practicas, nobis manifestavit, quarum una est quod hominis in magnis honoribus constituti, intellectus et iudicium oblenebratum remaneat; altera quod naturam et pristinos mores in transversum immulet, ita ut idem, qui antea erat, minime agnosci queat. Ambitiosus dominandi avidus, suaeque sublimationis percipidus, omnem protus rationis discursum, et prudentiale iudicium amittit prout in duobus filiis Zebedei perspicue satis conspicitur, in Christi regno primas sedes postulantis; quibus proinde Dominus noster aptissime respondit : *Nescitis.* Hi namque discipuli totius scholae apostolicae disciplinatissimi erant, ejus inquam scholae, in qua Christus quotidianam de humilitatis virtute lectionem praelegere et inculcare solebat : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Qua igitur ratione, in hunc potuerunt impingere scopulum? Ratio hujus in promptu est, quia ambitio illos excecaverat.*

i. — Tanta gratiarum in Joanne fuit abundantia et excellentia, ut hoc praedarum a Christo nactus sit testimonium : *Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista.* Quae tamen gratiarum abundantia tantum illi periculum consistit, ut verum sit quod ubi magnitudo gloriae, ibi magnitudo periculi adsit, de elationis fomite; ut proinde vere pariter ac belle S. Prosper Episcopus in Epist. quadam dixerit : « Vigilant tentatoris insidiae et ubi proficit » devotio, subrepat elatio, et ut homo de bono » opere in se potius quam in Domino gloriatur. » Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc peri-

culum monet, dicens : *Cum metu et tremore » vestram salutem operamini; Deus est enim qui » operatur in vobis velle et perficere.* Quanto ergo in » mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores » habent causas formidinis et tremoris, ne de ipsis » probitatis argumentis mens sibi bene conscia et » laudis avida, in superbia rapiatur excessus, et » fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara » virtute. » Quid enim tam perversum quam ut probitatis argumenta, impietatem persuadent, male acuto vanae gloriae ingenio? Quam tanto sollicitius idecirco vitat Joannes, quanto subtilius illi insidiatur; timet enim subdola vanae gloriae insidias quae de virtute, vitiorum officinam adversus virtutes excutit. Vana enim gloria aggreditur etiam perfectos, et tunc nos oppugnat, cum de vitis triumphamus, et bonis operibus divites sumus. Septuaginta duo discipuli variis visitatis locis, in quibus Evangelicam seminaverant doctrinam, ex miraculis quae ibidem patravant, et plurimarum animarum conversione, vanam conceperant gloriam. Quamobrem gloriosi redeuntes ad Christum, jactabant se, et gloriabantur, quod etiam demonia sibi subjecerentur : *Reversi sunt autem septuaginta duo, cum gaudio dicentes : Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis. Luc., x, 17.* Advertens autem Salvator noster astutiam infernalem, nimirum, malignos spiritus ipsorum subjeci dominio eo fine, ut ipsi discipuli vanae gloriae, et praesumptionis vicissim subjecerentur dominio, ait illis : *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.* Proposuit illis casum rebellium Angelorum, ortum ab arrogantia et praesumptione, ut scopulum in quem ab initio allicerant, intelligerent : « Fulgur est symbolum superbiae, et » vanae mundi gloriae, » scribit Cornelius a Lapide; « haec enim instar flammæ fulgurea corruscat, et » illico evanescit, juxta illud : Sic transit gloria » mundi. » S. Basilius vanam gloriam nuncupat » tinea virtutum ». Tinea enim generatur in pannis, ex lana subtili, pura et pretiosa confectis. Eodem modo, vana gloria in cordibus virtus praeditis et perfectis, dona, merita, aliosque actus perfectionis devorare solet. Tunc vero generatur, quando quis in culmine est perfectionis aut ad illam tendit. D. Petrus Chrysologus aliam comparisonem qua eandem exprimit trinitatem inducit : « Crueldi arte » inquit, « virtutes truitent merone » virtutum; jejunium jejunio perimit; oratione » orationem evacuat; misericordiam misericordia » prosternit. »

VERSUS 20.

Et confessus est, quia non sum ego Christus.

1. — Euthymius in haec verba ita scribit : « Vide » prudentiam : Non dixit quis esset, quod post- » modum fecit, sed ad mentem eorum accedens, et

« quid velit, cognoscens, recte id a principio abstulit, quod ipsum sperabant responsurum, dixit enim : Non sum ego Christus. » Verumtamen merito hic quaeri potest, cur S. Joannes se Christum non esse responderit, cum legatorum interrogatio ab ipso directe, an Christus vel Filius Dei esset non requisierit, sed solum in communi proposita fuerit hoc modo : *Tu quis es?* Nimirum donum, quod Deus illi largitus fuerat, penetrandi scilicet cogitationes cordium, manifestare voluit, respondendo non ad interrogationem, sed ad interrogantium intentionem et finem. Unde Theophylactus ait : « Cognita eorum malignitate, non dicit quis sit, sed confiteletur : *Non sum Christus*, ad scopum utique illorum respiciens. » Et S. Thomas ait : « Magis respondet ad mentem quaerentium, quam ad questionem. »

2. — Hanc S. Joannis confessionem Rupertus Abbas Tuitiensis, lib. I, in *Joan.*, hinc verbis commendat : « Verax utique Veritatis praeco, cavet aspicienter mortiferum divini nominis adulerium. » Subjungit deinde, Joannem hoc loquendi modo se Christi confessorum exhibere, et probare voluisse, pro quo etiam postea martyrio coronatus fuit : « *Confessus est*, hoc intendit, ut hoc maxime loco Joannem Baptistam, quod omnino probabile et verum est, Christi Confessorem esse sentiat. »

3. — Oleaster super illa verba *Genes.*, cap. xii, 13 : *Laudaverunt eum apud Pharaonem*, finem inquit, propter quem Pharisei a Joanne non petierint directe, an Messias esset, sed tantum dixerint : *Tu quis es?* « Mirabar, cur non peterent, an ipse esset Messias, tandem deprehendi eos hoc ideo fecisse, « ne Joanni occasionem ambiendi nomen ac minus Messie preberent, si ipse non esset. Quo facto nos docuerunt, non proponere proximis, « quae ipsi ambire, ac male possint desiderare. »

4. — S. Joanni congruentissime adaptari possunt, quae Deus Ezechiel, iii, 9, dixit, nimirum : *Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam, ne timeas.* Mirabilis profecto conjunctio est, qua in hisce verbis gemma quaedam pretiosa inestimabilis valoris, qualis est adamas, qui regio diademati communiter inseritur, conjungitur cum silice, qui pedibus a viatoribus calcatur. Et tamen utriusque nomen, adamantis videlicet et silicis, Prophetas adscribitur, utique ad exprimentandam incomparabilem illius virtutem, et infractum animi ipsius robur insinuandum, quo nimirum nec adversitatibus, persecutionibus, et quibuscumque aliis ærumnis in silice significatis cessit per formidinem, nec se ab humana felicitatis lenocinio, per adamantem significato, seduci permisit. Quod laudis praeconium S. Joanni Baptista propriissime competit; hic enim inter catenas et compedes, in Herodis carcere unus et idem semper imperterrito pectore permansit, donec caput ejus levitico; sallarici, in habitis choreæ dare-

tur praemium : similiter quando in hac honorificentissima legatione, ipsamet Messiae et Filii Dei dignitas ultro citroque ei offerretur, se minime seduci permisit, sed libere respondit : *Non sum ego Christus*. Hic vere lapis lydus est vera sanctitatis, si quis nimirum se ab honoribus non solum humanis, sed etiam divinis seduci ad perverti minime permittat; quia tametsi apud illos, qui a mundo totaliter alieni sunt, omnia regna mundi nihil aestimentur; at tamen divinis aliquem affici honoribus, et pro Dei Filio haberi, nec tamen inde quicquam evanescere, vere dici potest sine exemplo exemplum, quod S. Augustinum, *Tract.* iv in *Joan.*, exclamare coegit : « Fratres mei, nullum tantum meritum Joannes habuit, quam de ista humilitate, quod cum posset fallere homines, et putari Christus, confessus est tam aperte, et dixit : *Non sum ego Christus*. » Nec est, quod quisquam id Joanni inadvertenter ex ore delapsum esse credat : siquidem prout ex Evangelio aperte colligitur, ut hanc veritatem Phariseorum cordibus tanto tenacius imprimeret, id ipsum, saepius est protestatus. Magna quidem virtus honores aspernari, nihil ducere; sed longe major virtus esse constet, id ipsum facere posse, quando ejusmodi honores summa cum precum instantia offeruntur. S. Thomas ait in *Joan.* : « Devoti famuli est, non solum non capere gloriam Domini, sed oblatam a multis « respuere. » Albertus Magnus aetiam illum, solide ejusdem sanctitatis specimen esse dixit : « Quem- « admodum probatur in confliatorio argenteum, et « in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantium : » ac proinde quanto majus solidae sanctitatis specimen erit, si quis non solum laudibus, sed et honoribus et dignitatibus, imo ipsismet divinitatis infinite celsitudini oblate resistat.

5. — Quæri hoc loco laud incongrue poterit, cur S. Joannes illos, qui peccatis onesti ad illum accedebant, adeo ardentem et serio reprehenderit, *genimina viperarum* eosdem appellando et tamen ex altera parte, licet illi aequè notum esset, hos quoque cum fictione et duplicitate animi secum tractare, sive ex odio et invidia, qua Christum prosequerebantur; sive ut ipsum adulationibus suis illaquearent, eos non detexerit, neque passionem suam, qua ad id faciendum movebantur, ipsis impropereavit? Rupertus Abbas de Christo quidem dicit : « Tantum ad interrogata respondit paritate « irreprehensibili. » Sed magis ad rem responderi potest, Joannem sine ullo imperio, illis ob hunc solum respectum respondisse, quia nimirum hi ad ipsum missi legati levitici et sacerdotalis ordinis erant, quibus pepererit, ne illos apud populum contemptibiles redderet et exosos, nobisque pariter exemplum daret, e quo doceremur respicere et honorare Sacerdotes, quantumvis malos, ipsorumque errores palam et in publico dissimulare, ne

suam apud plebem et vulgus respectum et reverentiam debitam amittant.

6. — Dionysius Carthusianus rationem reddit, cur illos ab errore eximere, veritatem autem nequaquam voluerit subtaecere. « Quamvis, » inquit, « sepe licitum sit veritatem silere propter audientium improbitatem, vel propriam pacem, seu « aliam piam et rationabilem causam, juxta illud « Psalmi xxxviii, 2 : *Posui ori meo custodiam cum « consisteret peccator adversum me; nunquam ta- « men licet veritatem negare, quamvis possit ali- « quando pia cautela abscondi. »*

7. — Porro sanctitas, qua sanctus Praecursor imbutus crebatur, donum Dei erat : *Formans me ex utero servum sibi*, ac proinde hoc dono in benefactoris sui depressionem minime abutendum esse censuit, ut nos doceret, beneficia divina in defensionem illius, a quo eadem accepimus, a nobis semper retorquenda esse.

Additiones.

a. — *Et confessus est et non negavit, et confessus est : quia non sum ego Christus.* Non vulgarem emphasin dicta verba prae se ferunt; alioquin simpliciter respondere potuisset : *Non sum ego Christus.* Sed Evangelista iterum repetit : *Et confessus est*, ut hac loquendi figura sollicitudinem atque timorem sancti Praecursoris haud obscure declararet, cum sibi divinos honores tribui imprudenter populi opinione cerneret. Nullus enim vir, etiam zelotypiae agritudine laborans, usque adeo de uxoris suae pudicitiae sollicitus est, quam sancti omnes fuerunt ut nequidquam divini honoris sibi arrogarent, ut ab aliis sibi tribui paterentur. Sic Paulus et Barnabas, *Act.*, xiv, cum eos Lystris civis propter edita miracula adorare vellent, concessis tunicis obstituerunt, dicentes : *Viri, quid facitis? Et nos mortales sumus.* Non vero contenti, populum ab hac temeritate revocasse, cursu, voce vestiumque abscissione, quantum tremor eos invasisset, satis indicarunt. Simili consilio et affectu, Joannes a se divinos honores depulsi, ut qui probe teneret Deum honorum operum nostrorum sibi reservare laudem et gloriam. Et ideo inde nullum oportet concipere vanam gloriam, sed sanctitatem exemplo Joannis occultare. Dicit enim Apostolus, *II Tim.*, i, 17 : *Regi saeculorum immortalis et invisibilis, soli Deo honor et gloria.* Quamvis sacrae litterae non excludant ab operibus virtutum, quae a fidelibus fiunt, honorem et gloriam, nihilominus, veluti alio in loco idem declarat Apostolus : *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Omnis gloria immedie a Deo dependeat, necesse est, eique de quo scriptum est : *Operatur in nos velle et perficere*, omnia accepta referre debemus. « Origo fontium et fluminum omnium mare est, » ait S. Bernardus, *Serm.* xii, in *Cantic.*, « virtutum « et scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis

« enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloria. « Sed juxta Annae canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis « industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte « manet : non solum, sed si quis callet ingenio, si « quis nitet eloquio, moribus placet, inde est; inde « scientiae, inde sapientiae sermo. Quid? Casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli « fontis illius sunt? » Cuncta bona naturae, fortunae, praecipue vero gratiae, cui, nisi soli Deo attribuenda sunt? Ergo illi omnis debetur laus, omnis honor, omnis gloria. Et hac de causa fortassis sancta Mater Ecclesia instituit, ut enjuslibet Psalmi finis sit : *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.*

Quando passiones nostras vincimus, et infernalis inimici superamus assultus et insidias : *Dominus adiutor noster.* Ipse est qui pugnat et vincit in nobis : Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. S. Bernardus ait : « Qui hominibus placet, confusi sunt, quoniam « Deus sprevit eos. Fratres, si haec scitis, nemo « vestrum velit laudari in vita sua; quia quicquid « hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, « ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putrides « pulvis? tibi unde? De vitae sanctitate, Sed Spiritus est qui sanctificat, Spiritus dico, non tuus sed « Dei. Et si prodigiis, aut signis effulgeas, in manu « tua fiunt, sed virtute Dei. Aut blanditur popularis favor, quod verbum bonum et bene forte « depromperis? Sed Christus donavit os et sapientiam; nam lingua tua quid nisi calamus « scribe? Et hoc ipsum mutuo accepisti. » Tandem concludit Mellifluus Doctor : « Omnis igitur de « bonis multiformis gratia apparentis in vobis, « referatur ad ipsum laus, laudabilium universorum, antorem et largitorem. »

b. — Gravissimam crediderim Joanni cessisse hanc tentationem, siquidem jacula vanæ gloriae ignita plane sunt et lubrica. Ut enim tineae croco, et nebulae florenti campo fatalis est, quia illico consumit ejus substantiam, et nudam stamen relinquens; ita opus hominum, tantae est excellentiae, ut naturaliter exeat in eo, qui illud agit, appetitum et voluntatem illud manifestandi; et ideo vocatur lux, quia ipsi maxime proprium est se oculis detegere, ac manifestare; et ut tale illud sequitur, et ut manifestat honor, atque post se trahit laudem et gloriam; et quando haec se offert, ait S. Augustinus, *Ep.* lvi, *ad Aurel.*, res est difficilissima eam repellere. Et licet inveniamus aliquos, qui laudes non querunt, paucos tamen reperias Baptistas, qui oblatas rejiciant, sincere et sine fide dicant : *Non sumus.* Nam difficulter aestimatio propriae laudis superari potest, quia tenaciter inhæret. Invenietis homines histopio cilio cooperatos, discipulis emaceratos, extenuatos jejuniis, omnium se subterentes pedibus, at eodem tempore tentatos vana gloria, adeo

ut pati nequeant, si ab aliis spernantur. Audiamus S. Augustinum : « Sepe homo de ipso vane gloria, « contemptu vanius gloriatur, non enim contemnit, « dum gloriatur intus. » Febris maligna non apparet quia intus operatur, et decipit : ita facit vana gloria, quae est majoris malignitatis. Foris ostendit alienationem a laudibus, contemptum humanæ gloriae; at intus in corde complacet sibi de bona quam habet apud alios existimatione. S. Hieronymus euidam religiosa virgini hoc dedit consilium, ne plus sibi complaceret in recusatione laudum, et applausum, quam in ipsismet applausibus. « Nec « satis religiosa velis videri, nec plus humilis quam « necesse est, ne gloriam fugiendo quaeras. Plures « enim paupertatis, misericordiae atque jejunii arbi- « tros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quod « placere contemnunt; et mirum in modum, laus « dum vitare appetitur. » Audiamus S. Jo. Climacum : « Jejunans, inanis gloriae cupidus sum; abdo « me ut ignotus sim tanquam prudens, rursus « gloriam appetit; splendide vestitus ab illa vincor; « vili habitu textus rursus gloriam cupio. Loquens « vincor; tacens rursus victus sum. Utamque « propeceris istum tribunalum, aculeus stat rectus. » De S. Dominico legitur, quod cum predicando et concionando, copiosissimam animarum collegisset messem, ac propterea ab omnibus ei applaude- retur, honoresque exhiberentur maximi, fugere se dederit. Interrogatus cur id fecisset, respondit : « Quia plures ibi me honorant, hic vero omnes me « impugnant; » quod dixit eo in loco, ad quem ne receperat, ubi plurimos videlicet habebat persecutores et continuas cum haereticis controversias. Ecce unus igitur S. Dominicus, qui etiam in ipsam mortem auctoritatem habebat, non ausus fuit in arenam descendere et pugnare cum vana gloria, sed fuga se salvavit, refugium querens apud haereticos et persecutores.

e. — Recte potest dici de S. Joanne quod Spiritus Sanctus de Davide dixit : *In omni opere confessionem dedit Sancto*; sicque et nobis faciendum est, et omnia quae habemus bona per bonam intentionem ad gloriam Dei referenda sunt; nisi illa perdere velimus. Deus enim intentionem rectam quae honorum operum basis et fundamentum est, a nobis exigit. Sapienter ut omnes intentiones nostras in Deum dirigamus, exhortatur, divinam in omnibus actionibus nostris promittendo assistentiam, in haec verba : *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Prov., iii, 6.* Quem textum de intentionis rectitudine ita explicat Lyranus : « Id « est, in omnibus operibus tuis dirige intentio- « nem tuam ad ipsum, et ipse diriget gressus tuos, « id est, opera tua ad finem bonum. » Unde et forsitan alibi Deus noster cor nostrum exigit, inquit, *Prov., xxiii 26 : Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Nobiliorem utique corporis humani partem postulare

non poterat, quam cor, utpote primum mobile omnes secum trahens reliquis potentias et sensus nostros. Et Chaldæus quidem legit : *Pone, fili mi, cor tuum ad me*; quasi diceret : Quidquid cogitas, desideras et operaris, totum per intentionis rectitudinem in Deum ordinare debes.

Intentio opera nostra specificat et meritoria reddit; illam respicit et remunerat Deus. Opera ceteroquin bona, si mala cum intentione fiant, in cassum cedunt; actiones vero indifferentes et quæ nullius sunt meriti, si recta intentione fiant habebunt suam apud Deum remunerationem. Sed defectus bonæ intentionis multas actiones in se bonas, Deo facit non acceptas esse, imo et sepe demeritorias.

d. — Cum S. Joannes haberet tot excellentias et dona virtutum, se adeo humiliavit, repetens : *Non sum, non sum ego Christus*, nobis ostendere volens humilitatem summam esse doctrinam a Christo nobis tradite, ut eandem in similibus occasionibus ad ejus imitationem exercere velimus, a qua amplectenda nemo se excusare valet. S. Augustinus, de *S. Virginitate*, xxxvii, sic alloquitur Dominum : « Video te, bone Jesu, oculis fidei quos aperuisti « mihi, tanquam in concione generis humani cla- « mantem, atque dicentem : *Venite ad me et discite a me.* Quid obsecro te per quem facta sunt omnia, « Fili Dei, et idem qui factus est inter omnia, fili « hominis, quid ut discamus a te, venimus ad te? « *Quoniam mitis sum et humilis corde*, inquit. Huic « redacti sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae « absconditi in te, ut hoc pro magno discamus a « te, quod mitis es et humilis corde? » Similes admirationis actus S. Bernardus, *Epist. xlii*, expressit, inquit : « Auctor et dator virtutum Christus, « in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt « absconditi, in quo omnis quoque plenitudo habi- « tat corporaliter, nonne tamen et ipse de humili- « tate, tanquam summa sua doctrinam, suarumque « virtutum gloriosus est, dicens : *Discite a me quia « mitis sum et humilis corde?* » Ubi ponderanda sunt verba illa : « Tanquam summa sua doctrinam. » Sicut enim Angelicus Doctor, in Summa sua, medullam totius theologiae compendiat et restringit, ita S. Bernardus, hoc loquendi modo insinuare voluisse videtur, quod videlicet summa doctrinam, ab increata et incarnata Sapientia tradite, in hac humilitatis virtute, tanquam in brevi epilogo continetur. Iterum specialiter ponderandum est verbum illud, *a me*. Non enim solum dixit : *Discite humilitatem*; sed : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Inspice igitur Christum, et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est. *Exod., xxv, 40.* Merito igitur S. Petrus Damianus, *Serm. de S. Mich.*, exclamat : « Hæc sola virtus virtutum « nutrit, quam solum in Virgine Matre respexit « Altissimus; cujus quandiu conversatus est in terris « Filius Dei, et executor extitit et magister.... 0

« gloriosa virtus humilitatis, per quam homo vere « discipulus efficitur Salvatoris! »

Quod si nos Salvator docuisset facere miracula, mundum convertere, eventus futuros prædicere, rigorosissime jejunare, vel alia opera similia facere, hæc utique magnam humanam debilitati causare difficultatem potuisset; at vero quis ab humilitate se subducere poterit? Quis est qui non sibi vilesce- re seque contemnere valeat? Ad honores pertingere arduum est ut experientia demonstrat. « Certe qui « contendit supergredi proximos, multas inveniet « difficultates, multos habebit æmulos, » ait S. Bernardus, *Serm. ii, in Cap. jejuni.*, « multas patietur « contradictiones, ascendentes quidem ex adverso. « Nihil vero facilius est volenti, quam humiliare « seipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod « omnino nos reddidit inexcusabiles, ut ne teneat « quidem nobis velamen prætereunde liceat. »

e. — Ecclesiastici præcipue bene meriti, et digni, omni sunt honore prosequendi, in recognitionem magnorum beneficiorum quæ ab illis accipiunt; et hæc est causa mansueta responsionis Præcursoris ad callidam sacerdotum interrogationem. S. Paulus erga clerum omne exigit obsequium, reverentiam et honorem, cumque non mediocrem, sed superabundantem; dummodo ecclesiastici ministerio suo digne correspondant, morumque probitate, gregi suo commisso, beneficiando, eo se honore dignos efficiant, unde ait : *Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur, I Timoth., v, 17.* Ubi S. Thomas inquit : « Præcipue hic honor est illis « exhibendus, qui hoc merentur suo labore. » S. Carolus Borromeus, omni cum sollicitudine mentibus fidelium, respectum imprimere conatus est, et venerationem sacerdotio debitam; ideoque verbum Dei annuntiator præscripsit ut hanc auditoribus sollicite imprimere venerationem. Legitur, *Act. Eccles. Mediol. de Saer. Ordin.* : « Quam gratus « autem sit Deo honor, quam grata obedientia, « quæ ecclesiasticis hominibus, præsertim sacerdo- « tibus præstantur, facile ostendit sacrarum Litte- « rarum doctrinis, rursusque quod præmium ob « eam causam a Deo ferent, qui illius ministros « suscipiunt et honorant, quique illis obediunt. » Scriptor quidam modernus, multa paucis verbis comprehendit motiva, ob quæ ecclesiastici a secularibus sunt honorandi : « Ipsi enim sunt eorum « Patres, inquit, dum gignant per baptismum; « Nutriti, dum alunt sacramentis; Medici, dum « curant eorum vulnera; Magistri, dum instruunt; « Defensores, dum timentur precibus, et sacrificiis. « Sunt nobiles aulici Dei, signati caractere Ordi- « nis. » S. Vincentius Ferrerius, in quadam sermone de S. Marco, reverentiam antiquitus clero deferri solitam, his verbis describit : « Antiquitus, quando « unus clericus transibat per viam, vel per vicum, « omnes assurgebant, dicendo : Deus me habeat in

« vestris orationibus : modo autem sunt tot vitia, « et vanitates sacerdotum et clericorum quod pejus « loquuntur de ipsis, quam de Judæis, ex illorum « mala vita. »

f. — Non fuit S. Joannes, ut Lucifer, qui a Deo multis cumulatus beneficiis, adhuc sibi ultro ingratum arrogare ausus fuit, quod Deo debebatur. Unde quoque reprobatum fuit. S. Joannes vero recognoscens beneficia a Deo recepta, stat in veritate firmus, nolens quidquam sibi arrogare, quod Dei erat; unde majoribus honorari dignus fuit gratis. Dum enim Deo pro receptis gratis nos gratos præstamus, Deum, ut majores nobis largiatur, velut debitorem nostrum obligamus. S. Augustinus Davidis, dum de solvendo divinæ majestati gratiarum tributo anxius hæret, loquendi observat modum. Non enim dicit : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi? sed, pro omnibus quæ retribuit mihi? Noverat namque hic Propheta quod, quamvis gratias reddamus ut debitoribus, nihilominus simul etiam creditores evadamus, dum gratitudo pro beneficiis receptis præstita, retributionem correspondentem habet. Juxta illum tribum axioma : « Deus coronat in nobis sua dona non nostra merita. « Tanta enim est Dei erga homines bonitas, » inquit concilium Tridentinum, « ut eorum vellet esse merita « quæ sunt ipsius dona. » S. Chrysostomus ait : « Magnus thesaurus gratiarum actio, magna divi- « tie; in consumptum bonum. » Quam veritatem confirmat, *Hom. super Genes.*, dicens : « Ne simus « ingrati, neque dum reipsa beneficia experimur, « gravemur offerre Domino verbis nostris gratiarum « actionem; redundat enim in nos. » Quam doctrinam S. Augustinus his quoque insinuat verbis : « In « his quæ jam habemus, laudemus Deum largito- « rem; in his quæ nondum habemus, teneamus « debitorem. »*

VERSUS 21.

Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias est tu?
Et dixit : Non sum. Propheta es tu? Et respon- dit : Non.

Quid ergo? Elias es tu?

1. — Pharisei primum Christi in hunc mundum adventum cum secundo confundebant, ideoque sibi ipsum Eliam forsitan esse posse persuadebant, utpote qui iudicium universale præcessurus erit, ut Malachie, iv, prædictum fuisse noscitur. Unde S. Thomas, in *Math.*, ait : « Sciendum est autem, quod « a populo Judæorum, sicut expectabatur Dominus « venturus, ita expectabatur Elias, Christum præ- « cessorum; ideo videntes qui missi erant, quod « Joannes non confitebatur se esse Christum, in- « stant, quod saltem confiteatur, si est Elias. » Porro haeretici nonnulli illius temporis, animas ex

uno corpore in aliud transfundi existimabant, quo eodem errore nonnulli Judæorum imbuti fuisse videntur, qui Precursorem in austerissima vita sua dicto Propheta persimilem esse videntes, ipsum vere hunc Prophetam esse credebant, maxime cum ipse Salvator, *Matth.*, xii, 24, dixisset: *Si vultis scire ipse est Elias*. Ita Doctor Angelicus. Toletus autem Hebræos hanc animarum transmirationem minime credidisse, per multa argumenta probat; qui proinde in ea est opinione, quod Hebræi S. Joannem jam mortuum, in ejusque locum Eliam commigrasse existimant, utpote quem etiamnum vivere sciunt; quippe qui in novissimis diebus filio perditionis resistere, et cum eo dimicare debebit.

2. — S. Thomas quoque hoc loco quaerit, quomodo S. Joannes se Eliam esse negare poterit, cum tamen veritas ipsamet de eo testata fuerit: *Ipse est Elias*. Qui idem dubium istud illo Angeli effato solvit, quo ab eo dictum fuit: *Præcedet ante eum in spiritu et virtute Eliæ*, in suis scilicet operibus: *Non fuit ergo Elias in persona, sed in spiritu et virtute*. Demum vero, quæ inter utrumque intercedunt analogie, in tria hæc capita ab eodem distinguuntur. El primo quidem « quantum ad officia: quia sicut Elias secundum adventum Domini prævenit, ita iste præcessit primum; secundo, « quantum ad vivendi modum: quia Elias in desertis morabatur, parce utebatur cibo, et duris vestibus operiebatur, » quod idem in S. Joanne ad unguem adimplebatur. « Tertio, quantum ad zelum, quia Elias maxime zeli fuit, sic et Joannes « zelo veritatis mortuus est. »

Propheta es tu? et respondit: Non.

3. — Enimvero Lucæ, i, 76, prout S. Thomas notat, in Joann., de S. Joanne dicitur: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*; quomodo igitur idem Joannes se talem esse negare potuit? Respondet: « Joannes non est Propheta simpliciter, sed plus « quam Propheta: alii namque Prophetae solum « futura prædicebant a remotis, Joannes vero Christus presentem annuntiavit, quasi digito ostendens, ecce Agnus Dei. Ideo *Matth.*, ii, Dominus « dicit: *Ecce plusquam Propheta*. » Ad hæc Judæi, juxta sententiam Origenis, suis in opinionibus delusi, tres personas valde insignes Messiam in suo adventu associarunt esse crediderunt, nimirum Redemptorem ipsum, Eliam, et alium quemdam Prophetam permagnum, illum nimirum, de quo *Deuteron.*, xviii, 15, dicitur: *Prophetam suscitabit Dominus*, quæ verba tametsi de ipsomet Messia intelligenda sint: Judæi tamen hunc alium quemdam Prophetam futurum esse existimabant: « Ideo non « quaerunt simpliciter, utrum sit Propheta, sed an « sit ille Propheta maximus, quod quidem ex ordine questionis apparet; nam primo quaerunt, « an sit Christus; secundo, an Elias; tertio, an

« Propheta. » Toletus ait: « Interrogant, an sit « Propheta ille insignis promissus a Deo; in Græco « cum articulo describitur Propheta, ut non qui- « cumque intelligatur, sed ille a Deo promissus. »

4. — S. Bonaventura super hunc S. Joannis textum varias refert opiniones, quæ circa Baptistam sustinebantur; dicit enim: « A quibusdam credebatur esse Christus, ob eminentiam singularis « potentia, ab aliis credebatur esse Elias, ob austeritatem vitam; ab aliis unus de Prophetis resuscitatus, propter gratiam prophetiæ. »

5. — S. Thomas quoque observat, quod Judæi reflectentes, quod Joannes contra usum et constitutiones ipsorum, baptismum ministraret, quod officium solo Messie venturo reservatum esse videbatur, juxta illud *Ezech.*, xxxvi: *Efundam super vos aquam mundam et mundabimini*. Eliam quoque aquas Jordanis divisisse, Eliseum vero in isdem Naaman Syrum mundasse scientes; apparet saltem Joannem, vel diu desideratum Messiam, sive Filium Dei, vel Eliam, vel Eliseum esse, quorum uterque propheta insignis extiterat, persuadere sibi poterant.

Adiciones.

a. — *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dicit non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.* Veritatis præco, hæc asserendo, num veritati conformia enuntiaverit merito dubitatur. Nam quomodo vere dicit quod non est Elias, neque Propheta, qui et Elias et Propheta a Christo appellatur, *Matth.*, ii. *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est? Estne hoc miraculum ab humiliato? Scilicet e nutu Joannis dependebat, has honorum excellentias quas vere possidebat, sibi arrogare et acceptare quas tamen, præclaro Evangelistæ testimonio humillime repudiavit. Qua super re, sic profunde S. Augustinus, *Serm. iii de Sanctis*, philosophatur: « Quod enim est majus testimonium « veritatis, quam se humiliando eum agnosceret, « cui æmulando poterat invidere? Putari Christus « potuit et noluit. Dixerunt homines cum fallerentur in eo: Num forte est Christus? Respondit « ille, quod non erat, ut maneret quod erat; inde « quippe Adam lapsus perdidit quod erat, quia « quod non erat usurpavit. Recolebat hoc iste « magnus, sed in parvo Christo minimus. Noverat « hoc Joannes, recolebat hoc, et tenebat quia reciperet quod perdidit Adam cogitabat, » Nempe hujusmodi repudio, quo ut Elias et Propheta, in censu hominum habebatur, sanctitatem suam occultabat, et vanam gloriam fugiebat: ob quam merito bona opera, gratia et favores, exemplo sanctorum occultanda sunt. Pulchre Glossa, in *Matth.*, speculatur qua ratione tres reges seu magi thesaurum suum quem e longinquis regionibus secum asportaverant, non aperuerunt, nisi post accessum, et*

ingressum in tugurium Bethleemiticum: *Aperitis thesauris suis obtulerunt ei monera, aurum, thus et myrrham*. « Magnum religionis sacramentum hic « aperitur, ut fide prævia thesaurus nostros in via « non pandamus, donec præteritis hostibus, soli « Deo ex oculis cordium offeramus. Ezechias, quia « thesaurus alienigenis prodidit, condemnatur in « posteris. » Sancti et sapientes hi reges thesaurus suos non aperuerunt in Jerusalem, multo minus in itinere; sed in supremi dumtaxat Monarchæ, quem pannis involutum adoraverunt, presentia. Et quale inde documentum? Habemus thesaurus in vasis fictilibus, naturali propensione nimis, prohi dolor! avidi sumus propriæ landis, æstimationis, vanæ gloriæ. Quapropter quos obtinenda æterna beatitudine, accumulamus thesaurus, quamdiu viatores sumus, diligenter custodire, nempe abscondere debemus bona opera et merita alterius vite, ne latrones, puto, jactantia, vana complacentia, propria æstimatio, nobis hunc thesaurum suffluerent. Solum igitur in conspectu Dei illum oportet aperire, id est, operari ut Deo placeamus dumtaxat. Adverte: quando celestis Magister noster dixit: *Simile est regnum colorum thesaurorum*, adjunxit, *abscondito in agro*. « Necessè est igitur abscondere interim, » ait S. Bernardus, « si quid habemus boni, quoniam « thesaurum regni colorum, qui invenit homo, « abscondit. Necessaria ergo est hæc absconditio, « non solum ante oculos aliorum, sed etiam multo « magis, ante seipsum. » Simile dabat consilium S. Petrus Damianus, *Serm. de S. Barb.*: « Occultanda « sunt, fratres, bona quæ agimus, ne hæc in hujus « vite itinere incaute portantes, latrocinantium « spiritum incursionem perdamus. »

b. — Variæ quidem sunt sententiæ sacrorum interpretum, causas afferentium quibus permoti fuerint Judæi, quod Joannem Eliam esse putaverint. Doctor Angelicus, in *Matth.*, asserit Phariseos primum Christi adventum in hunc mundum cum secundo confudisse, ideoque sibi ipsum Eliam forsitan esse posse persuadebant, utpote qui iudicium universale præcessurus esset, ut *Malachia*, iv, predictum fuisse noscitur. Unde sic D. Thomas: « Sciendum est autem, quod a populo Judæorum, « sicut expectabatur Dominus venturus, ita expectabatur Elias Christum præcessurus. Ideo videntes « qui missi erant, quod Joannes non confitebatur « se esse Christum, instant, quod saltem confiteatur « si est Elias. » Porro hæretici nonnulli illius temporis, animas ex uno corpore in aliud transfudi existimabant, quo eodem errore etiam nonnulli Judæorum imbuti fuisse videntur, qui Precursorem in austerissima vita sua dicto Propheta persimilem esse videntes, ipsum vere hunc Prophetam esse credebant; maxime cum ipse Salvator, *Matth.*, xii, dixisset: *Si vultis scire, ipse est Elias*. Sed quod Magister veritatis affirmat, hoc præco veritatis legi-

time negat: *Non sum*. Joannes enim non fuit Elias in persona, sed in spiritu et virtute. Et sicut Elias propter jugem sui ipsius mortificationem, pro sancto habebatur, sic et Joannes, per eandem, hoc idem sanctitatis, isdem præbebat indicium. Mortificatio siquidem est efflux medium ad virtutem et perfectionem comparandum, necnon ad dignoscentium spiritus et veræ sanctitatis soliditatem. Celestis sponsus animæ sibi dilectæ se in hortum ad myrrham simul cum aliis aromatibus demetendum descendisse indicabat, ac proinde eandem quoque ut se simul cum eo illic reciperet, his verbis invitabat: *Veni in hortum meum, Soror mea, Sponsa; Messu myrrham primam cum aromatibus meis*. *Cant.*, v, 1. Quid vero per hoc aliud innuere staturat, quam quod myrrha symbolum sit mortificationis, in qua anima exercere se debet, ut ei accepta sit? Unde S. Gregorius Magnus prædicta verba explicans inquit: « Myrrham dilectus cum aromatibus metit, « quando Christus mortificatione vite ad perfectionem perducta, electum, ab hæc vite subsidens, ad « celeste horreum cum sancta opinione inducit. » Aromata autem quæ suavem spirant fragrantiam, virtutum denotent perfectionem. Unde Apostolus, de se et de primis fidelibus sancte gloriabatur, dicens: *Christi bonus odor sumus*. *II Cor.*, i, 15. Richardus de S. Viatore, ostendens quam fructuosum sit hujus virtutis exercitium ad perfectionis acquisitionem, dicit: « Cum mortificata fuerit carnis « naturas, et propria voluntas, tunc fluunt virtutum « aromata, et per consumptionem et triumphum « hujus laboris, ventur ad culmen perfectionis. » Unde in vita S. Francisci Borgiæ legitur, quod cum alterius personæ perfectam sanctitatem audiret commendari, responderit: Talis erit, si fuerit mortificata. Imo hanc virtutem tantum æstimabat, ut historicus vite suæ de ipso attestetur, ipsum futurum fore existimasse, ut mortuus viveret, si putaret mortem eo die sibi incurrendam, in quo privatum aliquid mortificandis sensibus non subiisset. Notabilis est illa Thomæ a Kempis sententia, ab aliis sanctis pariter tradita videlicet: « Tantum proficiet, « quantum tibi ipsi vim intuleris. » Ex sancto enim Bernardo, *Serm. xxvii, in Cant.*, « Quantitas cujus- « cumque animæ æstimatur ex mensura charitatis, « magna habet, ut quæ multum habet charitatis, « quæ sit, et quæ parum parva. » Sanctus autem Augustinus attestatur quod, « Pena interrogat si « quis veraciter amat. »

VERSUS 22.

Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum denemus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso?

Dixerunt ergo ei: Quis es tu?

1. — Toletus in hisce verbis Phariseorum admirationem notat: « Vox est ejusdam admirationis; »